



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXXVII. Licere coniugatis ex consensu vouere continentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

Ex quo apparet, nihil facere hoc decretum contra religiosos, qui parentibus adsunt, si eorum præsentia necesse indigeant: si autem non indigeant necessario, absunt quibus corpore ab eis, tamē eos iuuant quomodo religiosos deum nimirum precibus apud Deum. nam etiam filij secularis eodem modo iuuant parentes, sed alij consilio, alij artibus, alij opibus, prout conuenit statui vnus cuiusque.

Addit **Q**UARTVM argumentum Petrus Martyr ex libro q. 15. fusè explicata, vbi filios dicit non esse recipiendos monasticam disciplinam, nisi à parentibus offerantur. **R**ESPONDEO, loquitur S. Basilius de filiis, qui ob minorē tatem adhuc subsunt in omnibus patriæ potestati, id est textus ipse Basilij loquitur apertissimè: *Eos, inquit, qui parentibus sunt dum ab illis ipsi adducuntur, coram magistris testibus suscipiemus.*

CAPVT XXXVII.

Licere coniugatis ex consensu vouere continentiam.

TERTIO, an liceat coniugatis ex consensu tuo suscipere vota perpetuæ continentię. Negat hoc disertis verbis Petrus Martyr in commentario ad Corinth. 7. & probat ex verbis Pauli: *Nolite frater dare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum.* Vbi Paulus sollicitudinem ad tempus concedit vacationem ab vsu coniugali. Idem docent Magdeburgenses Cent. 4. cap. 10. colum. 1304. vbi accusant Malchum Monachum, tanquam Matrimonij cōceptorem, quia ex cōsensu perpetuo abstinuit ab vxore, quam duxerat in captiuitate sua. Vbi obiter notanda est impietas, vel nequitia ipsorum; nam, vt Hieronymus scribit in vita Malchi, cogebatur Malchus à Barbaris ducere in vxorem mulierem quandam, quæ virum habebat; cum igitur non posset sine peccato adulterij illam accipere, simulauit pietatis, vt mortem euaderet, & illam pro sorore habuit. Romanen Magdeburgenses illum reprehendunt, quòd illi mulieri misceri noluerit.

At hic error impudentissimus est, & probō PRIMO ex ipso Pauli loco; nam Paulus postquam ait: *Iterum reuertimini in idipsum*. subdit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Vbi illud: *Secundum indulgentiā*, non potest referri ad illud: *Nolite fraudare inuicem*. Ibi enim locum habet imperium, non indulgentia; neque ad illud: *Nisi ex consensu ad tempus, & vacetis orationi*. Nam abstinere ad tempus ex consensu propter orationem, non eget indulgentia. Id enim dicimur indulgere quod non libenter concedimus, sed quasi coacti. Paulus autem maximè cupiebat, ut continerent, cum dicat: *Cupio omnes esse sicut meipsum*; ergo illud, secundum indulgentiam, refertur ad illud: *Iterum reuertimini in idipsum*. Id enim Paulus non libenter concedit, sed indulget propter incontinentiam illorum; quomodo exponunt Hieron. lib. I. contra Iouin. August. lib. I. cont. Iulia. cap. 21. Ambr. Theod. & alij in hunc locum. ergo qui perpetuò continent ab vxore ex consensu, rem gratissimam Paulo faciunt; tantum abest, ut ipse id prohibuerit.

SECUNDO, probatur ex Patribus. BASILIVS in quaestionibus diffusè explicatis, q. 12. *Eos, inquit, qui in coniugio Matrimonij ad talem vitam accedunt, percunctari oportet, an ex consensu hoc faciant, &c.* EPIPHANIVS hæc. 59. & Hieron. lib. contra Vigilant. dicunt, conjugatos non consueuisse saceris initiari, nisi continentiam perpetuam ab vxore promitterent. Quod idem statuit Concilium Arelatense II. can. 2. Idem quoq; S. Hieronymus in epist. 14. ad Celantiam, arguit eam fœminā, quod sine consensu viri continentiam vouisset.

AVGVSTINVS in epist. ad Ediciam, quæ est 199. *Quod, inquit, Deo pari consensu ambo voueratis, perseueranter usq; in finem reddere ambo debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissimè perseuera.* Et epist. 45. ad Arment. & Paulinam: *Ambo, inquit, Deo reddite, quod ambo vouistis.* Et infra: *Sit & esset consensus oblatio ad supernū altare creatoris, &c.* Et sup. *Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam sustitiā inuisto, sed à magna iniquitate de-terreo.* Idem Aug. in epist. 32. ad Paulinum, laudat eum, quod cum Therasia coniuge sua continentiae votū susceperit: ipse etiam S. Paulinus epist. 3. ad Aprū, mirificè eum laudat, quod cum vxore perpetuam continentiam Deo vouerat.

GREGORIUS lib. 9. epist. 39. ad Theotistam patriciam
 Verò, inquit, *Virisq; conueniat continentem vitam ducere,*
quis audeat accusare, quando certum est, quod omnipotens Do-
mus, qui minora concessit, maiora non prohibuit? THEODORUS
 lib. 4. hist. c. 13. laudat Pelagium Laodicen. Episc. quod prima
 die nuptiarum, cum ipse iuuenis iuuenem sponsam accep-
 set, ei persuaserit, ut simul continentiam vouerent. HILARIUS
 Arelatensis in epist. ad Aug. que proponitur libris de praeb.
 Sciat, inquit, *Sanctitas tua fratrem meum cum matrona*
ex consensu perfectam Deo continentiam deuouisse: Unde
gamus sanctitatem tuam, et orare digneris, quod hoc ipsum
eis Dominus confirmare & custodire dignetur.

Probatur TERTIO, exemplis eorum, quos rectè fecisse
 quòd ex consensu continentiam vouerint, nullo modo ne-
 gari potest, cum sancti fuerint, & miraculis claruerint. PRIMUM
 exemplum est Mariæ & Ioseph. Quòd enim veri con-
 iuges fuerint, patet ex Euangelio Matth. 1. *Ioseph filij Dauid,*
noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Et: Ioseph Vir-
gini, cum esset iustus, &c. quod autem ex consensu perpetua
 continuerint, certum est. Fuit enim error Heluidij a tota Ec-
 clesia damnatus, quòd B. Maria non fuerit semper virgo. Vnde
 B. Augustinus de consensu Euangelistarum, lib. 2. c. 1. Hoc
 exemplo, inquit, *magnificè insinuatur fidelibus conjugatis,*
tiam seruata pari consensu continentia, posse permanere con-
iugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affe-
ctu. Neque hoc exemplum aduersarij negare possunt.

Nam Centuriatores Cent. 1. lib. 1. cap. 10. col. 366. dicunt,
 Iosephum & Mariam ita verum coniugium contraxisse, ut
 voluerint, statuto tempore, more aliorum coniugum liberos
 procreare. Quod etiam docet Martinus Bucerus in cap. 1.
 Matth. Petrus Martyr in lib. contra Smithæum de cœlibatibus
 & Calvinus in 1. cap. Luc. Id autem etsi blasphemum est, cum
 B. Mariam virginitate animi, quæ sola virtus est, spoliare ni-
 tatur, tamen in eo nobis deseruit, quod hinc habemus non
 posse negare hæreticos, quin veri coniuges fuerint Maria &
 Ioseph. Porro iidem Centuriatores Cent. 4. cap. 5. col. 407. di-
 cunt errorem Heluidij esse, dicere B. Mariam aliquando cum
 Iosepho viro suo rem habuisse: nec possunt dicere, B. Mariam
 inuito Iosepho continuisse, nec è contrario, cum uterq; san-
 ctissimus fuerit.

SECUNDUM exemplum est Ammonis Monachi, qui cum vxore virgine ex consensu semper virgo permansit, teste Palladio, in historia Lausiaca, cap. 8. & quod hoc Deo placuerit, ex eo manifestè colligitur, quòd eius animam S. Antonius in cœlum ab Angelis deferri cum summa gloria vidit, vt Athanasius refert in vita S. Antonij.

TERTIUM exemplum est apud Cassianum, collat. 14. ca. 7. vbi refert, Laicum quendam, quia cum vxore sua, ex consensu continentiam virginalem colebat, aded claruisse, vt Dæmonem quendam ferocissimum, quem S. Ioannes Abbas expellere ab obsessio corpore non potuerat, ipse sola sua præsencia mox expulerit.

QUARTUM est S. Paulini & Therasiæ vxoris, qui ex consensu votum perpetuæ continentiaë susceperunt. de quo vide epistolam 32. Augustini ad Paulinum.

QUINTUM est S. Maturiani & Maximæ vxoris. de quo vide Victorem lib. 1. de persecutione VVandalica.

SEXTUM est apud Gregorium Turonicum de gloria Confessorum, ca. 32. vbi refert, quòd cum ex duobus coniugibus, qui semper ex consensu castè vixerat, altera mortua esset, alter in hæc verba prorupit: *Gratias tibi ago, omnipotens Conditor, quòd hanc puellam, sicut eam tradidisti impollutam, & ab omni Soluptatis contagio puram, ita tibi restituo: illa vero etiam si mortua esset, subridens ait: Sile Vir Dei, quia non est necesse proloqui nostrum, nemine interrogante, secretum.*

SEPTIMUM est S. Eduardi Angliæ Regis, de quo Surius Tomo I. ex antiquo manuscripto refert, quòd cum vnà cum vxore virgo permansisset, multis miraculis claruit, & post annos centum à morte, inuentus est omnino integer, aded, vt ne barba quidem illi, quæ prolixa & cana fuerat, decidisset.

OCTAVVM est S. Henrici I. Imperatoris, sed secundi Regis, & Kunegundis vxoris eius, qui similiter ex consensu virgines permanserunt, & miraculis claruerunt, aded vt vomerè candètem sine læsione calcauerit S. Kunegundis in testimonium virginitalis. de quibus vide Krantzius lib. 3. cap. 32. sup Saxoniæ.

NONVM est Petri Vrseoli Ducis Venetorum, apud Volaterranum lib. 4. qui cum vxore ex consensu castè viuens, miraculis illustris fuit.

DECIMUM est S. Catharinæ Suecæ, quæ cum viro in virgo permanfit, & miraculis claruit. Volaterranus lib. 22.

VNDECIMUM Boleslai pudici Polonorum Regis. de quo sic canit Clemens Ianitius Polon:

*Contuge consenuit cum Virgine Virgo maritus,
Additus studiis casta Diana tuis.*

DVODECIMUM est Alphonfi II. Regis Castellæ. de quo familia refert Volaterranus li. 2. quod nimirum miraculis claruerit, & ab vxore perpetuò se continuerit.

Probatur VLTIMO ratione; nam tota causa, cur non liceat viro profiteri continentiam, est, quia non habet potestatem corporis sui; & nemo potest rem alienam donare inuito Domino. At ista causa cessat, cum ex consensu fit votum.

Adde POSTREMO, quod solum contra obici potest illud Matt. 19. *Quod Deus cõrunxit, homo non separet.* sed hoc facile soluitur; nam non soluitur coniugium per votum continentiam. Vnde August. lib. 1. de serm. Domini, cap. 25. *Beatorum, inquit, sanè coniugia iudicanda sunt, quæ siue filiis procreantur, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerint; quod neq; contra illud preceptum fit, quo Dominus dimitti coniugem vetat, & illud seruatur quod ait Apostolus, reliquum est, ut qui habet uxorem, tanquam non habentes sint.*

CAPVT XXXVIII.

*Per vota solennia solui Matrimonium ratum,
non consummatum.*

DE QVARTO duo sunt errores extremi. VNVS est Marrini Kemnitij contra sess. 24. Conc. Trid. can. 6. & Magdeburgensium, qui docent, Matrimonium siue sit ratum & cõsummatum, siue sit ratum tantum, non posse solui per monasticam professionem, ita docent Cent. 1. lib. 2. cap. 12. col. 637. idem docet Eras. in cap. 7. 1 ad. Cor. & in eandem sententiam propendet ex Catholicis Claud. Espencæus lib. 6. cap. 4. de contin. suntq; pro hac sententia grauissima argumenta. Nam Matt. 19. & 1. Cor. 7. Matrimonium insolubile esse pronunciat: quod autem hoc de rato dicatur, patet PRIMO, quia Matrimonium ratum non differt